

**www.e-rara.ch**

**Philosophus irresolutus, sive, Quaestiones universae philosophiae principales**

**Walser, Iso**

**[Sankt Gallen], anno 1748**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRM 248

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-28721>

Quaestio II. An substitat systema Cartesii circa materiam primam?

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



contrà obijciuntur , vix , ac ne vix quidem solvi possunt.

*Fundam. Sent. 2.* In systemate peripatetico res omnes naturales satis commodè hætenùs explicari potuêre, sin minùs quoad sensum , certè quoad intellectum ; idque etiam in ordine ad res fidei supernaturales , in quibus adversæ sententiæ Patroni nimium laborant , maximè de accidentibus Eucharisticis : imò etiam res naturales de operationibus vitalibus, de atomis variarum figurarum, nec tamen divisibilibus, aliâque multa capi non possunt, nedum explicari ; & ut possint , fundantur omnia in hypothesi , seu systemate commentitio, & gratis conficto.

## QUÆSTIO II.

*An subsistat systema Cartesij circa materiam Primam ?*

### *Explicatio Systematis Cartesiani.*

Novum systema, in multis tamen ab Epicureo decerptum , confinxit  
Re-

Renatus Cartesius nobilis Gallus Turonensis, ut sequitur.

1. Initio mundi DEus creavit *corpus extensum* in longum, latum, & profundum, tantæ magnitudinis, quantæ nunc est moles universi; hoc corpus *postea* divisit in portiones maximas, inæquales tamen, figuræ oblongæ, & ovalis. *Deinde* singulas has partes subdivisit in innumerabiles particulas minimas, plerasque figuræ quadratæ, & cubicæ.

2. Particulis hisce quadratis DEus duplicem motum velocissimum indidit. *1. us* est, quo quælibet particula *circa seipsam*, & circa centrum suum particulare in rotunditatem movetur. *2. dus* est, quo omnes particulae pertinentes ad certam portionem maximam, de qua supra, rotantur *circa centrum commune*, quod est in medio cuiuslibet portionis; has particulas, duplici hoc motu *scilicet* circumvolutas appellat Cartesius *Vortices*. isti *Vortices*, seu hæ aggregatæ particulae, ut supra notavimus, sunt *inaequales* inter se, & figuræ oblongæ, & ovalis.



3. Ex duplici hoc motu orta sunt tria elementa Cartesiana, inprimis collisis hoc motu angulis particularum istarum quadratarum subtilissimus pulvis exilire debuit nullius non figuræ capax, nullius tenax; éstque hoc *primum* elementum Cartesianum, *materia subtilis* dictum, ex quo sol, stellæ fixæ, ignis, aliâque corpora lucida. Deinde globuli quidam excussis hisce Angulis relictî, quod est elementum *secundum*, minùs subtile priori, ex quo æther, Cælum, ac stellæ errantes, excepto sole, componuntur. Tertiò sunt fragmenta seu particulæ quædam crassiusculæ, villosæ, ramosæ, quæ ortum ducunt ex primi elementi particulis inter se implexis, ac ideò in moleculas quasdam ramosas, & majusculas, concretis, & quæ constituunt *tertium* elementum, ex quo corpora opaca, ut terra, planetæ, metalla, aliâque crassiora.

4. Ex his tribus elementis juxta Hypothesin Cartesij omnia corpora naturalia velut *ex materia prima* componuntur, prævalet tamen elementum tertium, seu materia ramosa.

For-

*Forma* verò corporis naturalis est 1. *Substantia aetherea* h. e. particulæ primi, & secundi elementi; hæc enim quasi anima corporis est, eique vim operatricem, & activitatem tribuit. 2. *Diversa modificatio corpusculorum*, consistens in figura, motu, quiete, situ, & magnitudine &c. unde illud à Cartesiano tritum:

*Mens, mensura, quies, motus, positura, figura,*  
*Sunt enim materia cunctarum exordia rerum.*

5. Astruit prætereà Cartesius in suo systemate 1. Corpus esse quidquid est extensum, & mensurabile in longum. latum, & profundum. 2. Omne illud dari, quod clarè concipimus, ergò sicut suprà cælum Em-pyreum concipimus immensum aliquod spatium, ita à parte rei dabitur; sicque mundus non erit finitus, neque tamen infinitus (hoc enim asserere, religioni sibi duxit) sed medio quodam termino, *indefinitus* saltem. 3. Negat Cartesius omnia accidentia absoluta: sed in hoc maxi-





mas patitur difficultates ob Mysterium Ss. Eucharistiæ.

4. Negat omnes formas substantiales præter animam rationalem; nec admittit in brutis formam substantialem viventem; eadem enim asserit esse meras machinas, & automata, qualia sunt horologia, omnemque eorum virtutem operandi esse à dispositione, figura, motu partium &c.

6. Systema Cartesianum differt à Gassendico 1. Quia Gassendicum non habet *vortices* Cartesij. 2. Gassendus atomos non dividit in tria *elementa*. 3. Gassendus astruit *vacuum disseminatum* inter atomos; Cartesius negat omne vacuum; illa enim spatiola replet elementò primò, seu materiâ subtili. 4. Atomus Gassendicæ sunt *indivisibiles*, non verò Cartesianæ.

SENTENTIA I. Systema Cartesij per modum hypothesis defendi potest. vide Cartesium *de principijs philosoph. part. 3. à num. 19.* & præcipuè à num. 43. Purchot t. 2. p. 1. *Phys. sect. 2. c. 5. prop. 2.*



## FUNDAMENTA.

1. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate ; atqui in systemate peripatetico multiplicantur , dum astruuntur formæ Substantiales , accidentia absoluta , à substantia realiter distincta , & quidem sine necessitate ; non verò multiplicantur in Systemate Cartesiano ; ergò.

2. Illud ut verum , aut saltem ut probabile defendi potest , quod per claram ideam percipitur , sed systema Cartesianum ita percipitur, ergò.

3. In systemate Cartesiano omnia naturæ phænomena aptissimè explicantur ; ergò. unde Cartesius *de princip. phil. p. 3. n. 43.* ita loquitur. „ Certè , si nullis principiis utamur , „ nisi evidentissimè perspectis , si nihil , nisi per Mathematicas consequentias ex ijs deducamus , & interim illa , quæ sic ex ipsis deducemus , cum omnibus naturæ phænomenis accuratè consentiant, injuriam DEO facere videremur , si causas rerum hoc pacto à nobis inventas falsas esse suspicaremur ,

„ tan-





„ tanquam si nos tam imperfectos  
 „ genuisset, ut ratione nostra rectè  
 „ utendò fallamur. „ Sed quia Car-  
 tesius plurium censuras sese incurfu-  
 rum meritò timebat, si figmentum  
 suum pro Thesi, & absoluta verita-  
 te venderet, ideò *num. 44.* addit : „  
 „ Verumtamen, ne etiam nimis ar-  
 „ rogantes esse videamur, si de tan-  
 „ tis rebus philosophando, genui-  
 „ nam earum veritatem à nobis in-  
 „ ventam esse affirmemus, malim  
 „ hoc in medio relinquere, atque  
 „ omnia, quæ deinceps sum scrip-  
 „ turus tanquam hypothesein pro-  
 „ ponere. „ *Prob. jam ant. 1. genera-*  
*tio, & corruptio* Cartesiana est com-  
 binatio, & destructio texturæ trium  
 elementorum Cartesianorum. 2. *Ig-*  
*nis* est portio primi elementi immix-  
 ta tertio sine mixtura, saltem nota-  
 bili elementi secundi. 3. *Aqua, &*  
*Aër* constant ex elemento tertio, cu-  
 jus tamen particulæ potissimùm sint  
 teretes, & rotundæ, ideò facilè mo-  
 biles, ac ab invicem separabiles. 4.  
*Terra* constat particulis tertij elementi,  
 ramosioribus, & magis inter se imple-  
 xis,



xis , & ideò etiam solidioribus , & quiescentibus. 5. *Calor* consistit in motu vorticoso elementi primi , secum rotantis tertium elementum sibi innatans. 6. *Frigus* consistit in quiete tertij , & primi elementi. 7. *Humiditas* consistit in motu elementi tertij , non vorticoso , hic enim esset calor , sed alio , qui eas particulas alijs facile cedere faciat. 8. *Siccitas* consistit in quiete , & firma cohærentia elementi tertij.

4. Tot sunt rerum principia , quot in hoc universo rerum discrimina observantur ; sed tria sunt ferè naturalium rerum discrimina , seu tres classes , in quas corpora naturalia omnia tribui possunt. alia enim sunt *lucida* , ut stellæ fixæ &c. alia *pellucida* , seu *diaphana* , ut æther , aqua &c. alia demùm *opaca* , ut terra ; ergò probabilissimè ex primo , secundo , ac tertio elementis , quo modo præfati sumus , composita.

### RESPONSA Aa.

Ad 1. *Neg. min.* Multiplicari à Peripateticis entia sine necessitate ; sine  
for-



formis enim substantialibus nequeunt explicari generationes substantiales; & sine accidentibus absolutis neque alterationes, neque Myſterium Ss. Eucharistiæ explicari catholicè potest. *Deinde* quis magis multiplicat entia, quàm Cartesius asserens: particulas esse in infinitum *divisibiles*, seu *indefinitas*, mundum esse *indefinitum*?

Ad 2. *D. maj.* Quod percipitur, ut possibile solum, neg. quod percipitur, ut *actu existens*, con. si omne illud, cujus claram habemus ideam, actu datur, sequitur omnia possible jam non esse possible, sed actu existentia.

Ad 3. *Neg. ant.* Hæ enim explanationes phænomenorum naturalium ut nituntur meris conjecturis, & figmentis, ita & ipsæ sunt confictæ, nullaque solida ratione fundatæ.

Ad 4. *N. maj.* Rerum enim discrimina non à materia, quæ semper sibi similis est, sed à formis proveniunt: hæ autem, cum sint innumeræ, innumera principia assignari deberent; quia etiam Cartesius fatetur ultro, materiam illam primogeniam (velut massam farinaceam credo) fuisse homogeneam. SEN-



SENTENTIA II. Systema Cartesianum neque verum est, neque ut hypothesis defendi potest. vide Card. Ptolemæum *dissert. 5. & 8. phys. gener. sect. 1.* Mayr *part. 2. à n. 292.* Amort. *hîc sect. 1. q. 7.* Falck *in mund. aspect. contempl. 2. c. 1. §. 2. & Du Hamel de consensu vet. & nov. Phil. lib. 2. c. 4.*

### FUNDAMENTA.

1. Hoc systema non salvat Mystrium Ss. Eucharistiæ, dum negat accidentia absoluta; ergò nequit defendi ut Hypothesis. *ant. prob. 1.* In Ss. Eucharistia destructâ substantiâ panis remanent species; sed illæ species sunt accidentia absoluta; ergò in Ss. Eucharistia sunt accidentia absoluta. *min prob.* Species remanentes sunt aliquid, quod erat in termino à quo, seu in pane; sed non sunt ipsa Substantia panis, ergò sunt accidentia absoluta. *maj. prob.* Vocantur enim species, non qualescunque, sed species panis, species vini; ergò. 2. Si species Eucharisticæ non sunt accidentia absoluta, tunc erunt, vel 1. Species ex-  
pre-



pressæ, seu ipsæ *sensationes*, quas Christus locò panis in sensibus hominum causat; vel 2. *Corpuscula* separata à substantia panis, latentia *intra poros* panis. vei 3. *Corpuscula corporis* Christi ita combinata, ut colorem, saporem &c. panis referant. nullum ex his dici potest; ergò. non 1um. quia sic non remaneret aliquid ex pane, & consequenter non maneret aliquod *commune tertium*, non 2dum. Quia illa corpuscula non pertinent ad panem, & sic denuò nil remaneret ex pane, quod sit *commune tertium*. non 3tium. quia sequeretur corpus Christi frangi, dividi, putrescere, corrumpi &c. sicut illæ species franguntur, dividuntur &c.

2. In systemate Cartesiano necessario involvuntur implicatoria, ergò nequit defendi ut hypothesis. *ant. prob.* implicat cubos Cartesianos, arctissimè sibi conjunctos, circa proprium centrum moveri, & spatium per diffractionem angulorum relictum nulla materia impleri, nec tamen dari vacuum: atqui in systemate Cartesij vacuum est impossibile, cubi mutuo

at-



atteruntur, & tamen nulla alia materia illa spatia relicta implet; ergò systema Cartesianum involvit implicatoria.

*Dices* : illa spatiola repleri materiâ abrasâ, seu elemento primo. *R.* antequam illa abrasio materiæ fuerit perfecta jam dabatur motus, & consequenter etiam spatium aliquod saltem exiguum inter cubos, & tamen nondum erat repletum materiâ illâ subtili. ergò vel debet admitti vacuum, aut negari cubos illos quadrangulares, utpotè arctissimè conjunctos, potuisse circa proprium centrum moveri.

3. Particulæ primi elementi, seu materiæ subtilis sunt à se invicem distinctæ, habentque figuras varias; ergò non possunt ita se tangere, ut nullum vacuum relinquant, aut dicendum erit omnes esse figuræ quadratæ.

4. Si elementa Cartesiana semper adhuc moventur, sequitur globulos, & particulas ramosas tandem esse exedendas, & in materiam subtilem permutandas, consequenter quia ex elemento primo, & materia subtili fit lux, totus mundus evadet lucidus.

5. In systemate Cartesij omnis motus provenit à materia subtili elementi primi; sed hoc videtur absurdum; ergò. *m. pr.* quia non videtur dicendum, corpus naturale, præcipuè animatum non posse se ab intrinseco movere. & quis credat animal non aliter moveri, quàm horologium? quis credat tam proportionatos motus brutorum provenire à sola materia subtili?

6. In systemate Cartesij nullus motus de novo producitur, sed ex uno corpore in aliud propagatur; sed hoc denuò absurdum; ergò. *prob. min.* motus non distinguitur à corpore mobili, ergò idem numerò motus non potest ex uno corpore in aliud propagari.

Possent equidem plura, nec levis momenti adduci, quæ hoc systema falsitatis convincerent, sed piget figmentis refutandis diutiùs inhærere.

### RESPONSA Aa.

Ad 1. Respondent variè; è quibus Em. Magnanus ait, species Eucharisticas non esse physica accidentia, sed consistere in speciebus objectivis



à Christo productis, defectum panis suppleantibus easdemque sensationes causantibus : nec id novum videri debet; nam non semel accidit, in Sacramento hoc apparuisse carnem, pulchellum puerum, ut de S. Ludovico memoriæ proditum, quod certè non accidit ex parte objecti per qualitates physicas, sed per actionem Christi taliter oculos tunc afficientis; sicut eidem actioni, & virtuti divinæ attribui potest, & debet vis nutritiva, calefactiva &c. specierum, nam species solæ sine substantia non habent vim nutriendi.

*Dices :* Has species non posse vocari accidentia permanentia, seu remanentia ex pane transubstantiato, sed esse accidentia recens creata.

*R.* Esse, & vocari accidentia posse, quia verè panis accidit, reflectere lumen, terminare visionem, aliâque præstare, quæ accidentibus absolutis adscribuntur. Vocari autem accidentia remanentia saltem *apparenter*.

*Dices :* Concilium Constantiense sess. 8. damnâsse propositionem hanc: accidentia panis non manent sine subiecto.



R. D. a. Damnavit in sensu Wiccleffi, con. secùs, neg. Wiccleffus docebat panem cum accidentibus manere à consecratione, ergò damnatus, quia panem negavit converti, ac manere defendit, non quia accidentia sine subiecto existere negaverit. Quam responsionem subministrat Card. de Alliaco, qui interfuit Concilio.

*Respondet* deinde Cartesius, panem ita per consecrationem quidem converti, ut tamen eadem figura, situs, ordo panis remaneat; porrò in figura, situ, ordine, mensura omnes qualitates, i. e. colorem, saporem &c. consistere, defendit cum illo Purchotius p. 1. *Phys. sect. 5. c. 1.*

Ad 2. & 3. Resp. 1. Vacuum destitutum omni corpore repugnare, quia esset spatium extensum, & non esset. esset, ut supponitur; non esset, quia est nihil, nihili autem non datur extensio. neque enim est ens, cum non sit creatum à DEO, neque à se. nec est modus entis, cum nulli enti infit. ergò est nihil.

*Resp. 2.* Partes materiæ subtilis omnis figuræ esse capaces; ergò non est



neceſſe, ut ſpatium vacuum aliquod in motu relinquant, ſed illicò confluunt, & ne vacuum fiat, quamvis figuram induent. imò primus motus etiam fieri potuit ſine vacuo, dumòdò partes pulſæ antrorſum, ſimul eo temporis articulo ſe receperint retrorſum ad vacua explenda à tergo, quale vacuum in aëre aves, & piſces in aqua motum cieunt. ſuccedente iſſis ſtatim à tergo tantum aut aëreæ, aut aqueæ ſubſtantiaë, quantum protrudere antrorſum.

Ad 4. Tranſmutationem utique fieri elementorum inter ſe, ut patet quotidie vapores in pluvias, & viſſim mutari, ſed non facile tantam, totius videlicet elementi, integram ſphæram occupantis, eſtque Providentiæ Divinæ, id impedire.

Ad 5. Reſp. *Neg. ant.* nam per machinas mira effici quotidie poſſe, & potuiſſe olim, nemo non videt; potuit Architas columbam volantem, Albertus caput loquens, Petrus Paulus de Pomis muſcam, quæ elephantum ex bracteis chalybis decuplo muſcâ majorem è pedunculis ſuſpenſum

sum per aëra circumferret , potuit denique Kircherus , ut in sua *Musurgia lib. 9.* profitetur , statuat conficere quaslibet voces articulatè pronuntiantem cum motu labiorum , linguæ , oculorum , idque non rotarum ope , sed artificio purè naturali , & varia artium reconditarum combinatione. Quid mirum ergò , similia posse DE-um , & si possit , facere. quippe , qui viâ incedit brevissimâ ; neque multiplicanda sunt miracula sine necessitate , astringendo formas substantiales &c. quas nemo vidit unquam.

Ad 6. *Neg. prob. min.* Nam ex sententia Cartesij motus distinguitur à mobili ; ut suprâ dictum.

Fundamenta harum sententiarum non discrepant à fundamentis præcipuis Gassendi , & Peripateticorum , quæ vide *quæst. præcedenti.*

